ORBIS TERRAE TYPVS.

CVM ex naturæ neceſſitate ordo ſemper requirat generalia particularibus anteponere, totúmque parti, ad majorem oblatę rei intelligentiam: hac eâdem & ego divinctus lege huic primo noſtrę Geographiæ ac Septemtrionalium terrarum tomo, univerſalem Orbis terræ typum, ejúſque quatuor partes, Europam, Africam, Aſiam & Americam, quò fœliciùs rem proſequar, præponere debui: & ſingulis quoque deinceps tomis conſequentibus, ut is etiam perfectum ſemper habeat opus, ac totius univerſi deſcriptionem, nec hac utili ſpeculatione privetur, qui vel ſuæ tantùm patriæ delineationem ſibi comparaverit. Iucunda etenim eſt & maximopere neceſſaria generalium contemplatio, ei qui vel minimam Mundi & naturalium rerum cognitionem habere cupit. Si enim libeat conſiderare, quis Solis ortus vel occaſus, quæ cauſa æſtatis vel hyemis, unde inæqualitas dierum & noctium exiſtat: quid denique & quo in loco natum, propagatum, actum, geſtum, mutatum & converſum jam inde à rerum conditarum primordio fuerit, id omne certè non aliunde meliùs, quàm ex harum quinq; tabularum adjunctione ſine omni periculo & honeſtâ cum animi voluptate didiceris. Et quemadmodum nulli, quantumvis amplam habitationẽ nacto, ſufficit perſpectas habere ſuarum ædium partes, ut ſunt atrium, cella vinaria & penaria, culina, triclinium, cænaculum, cubiculum, conclave, muſęum, quò iis commodè uti poſſit; ſed etiam in quâ urbis parte & plateâ, domus eius ſita ſit, compertum ipſi eſſe neceſſarium & commodum eſt, ut hinc cognoſcat ſtatim, ſi in civitate tumultus vel incendium oriatur, quàm propè vel procul à periculo abſit. Sic non minùs jucundum vel neceſſarium noſſe, quâ in Orbis parte habites, quos populos vicinos, aut remotiores habeas, ut graſſantib⁹ belli calamitatibus, quo metu, quáve animi tranquillitate uti liceat, ſcire queas. Denique cùm Coſmographia ſit lumẽ totius tam eccleſiaſticæ quàm politicæ hiſtoriæ, & plùs ex eâ diſcat otioſus ſpectator, quàm ex longo, moleſto & ſumptuoſo labore peregrinator, qui crebrò cœlũ tantùm, nõ autem animum mutat: parum utilitatis ex eâ capias, ſi tabulis particularibus generales non adjunxeris. Sunt autem hæ generales Tabulæ collectę ex magnâ Orbis terræ deſcriptione (cuius etiam initium longitudinis, vel primi meridiani poſitionem in ſingulis ſequuti ſumus) & ex magnâ Europâ meâ quas Duysburgi edidi. Tu interim Lector vale & fruere, ac hujus tuæ habitationis ac tibi ad tempus tantùm cõceſſæ gloriam cum Poëta Buchanano diligenter conſidera, qui ſic eam cœleſtibus comparat, ut animos terreſtribus ac rebus hiſce caducis immerſos extrahat, & ad altiora ac æterna viam oſtendat:

Percipias